

hamum, eoque ipsam cepit, et sicut Jonam cepit: vel sicut Jonam cete, qui cum eum digerere non posset, evomere coactus est. Hinc enim mors jam somnus facta est, et transitus ad vitam, teste D. Bernardo, tractatu de natur. et dign. divini amoris, cap. XV. *Hinc, inquit, transitum ad vitam, miseri infideles mortem appellant, fideles autem quid nisi pascha? Quin et Judæ in mortem sua et suorum non immerita plangebant, uti Joseph mortem patris sui, Gen. L. « Nondum enim, inquit in eum locum Chrysostomus, fuerunt portæ inferni contractæ, neque inferni vincula dissoluta, neque mors dicebatur dormitio, et idcirco quia timuerunt mortem, hæc faciebant: nunc autem propter gratiam Christi, quia mors facta est somnus, et consummatio, et quies, quasi de vita in vitam transferendi sic exultamus. Et quid dico de vita in vitam? De deteriori ad meliorem, de temporali ad æternam, de terrena ad cœlestem. » Ad hoc accedit exemplum Christi, qui, ut ait apostolus ad Hebræos II. *Pro omnibus gustavit mortem.* Quod explicans Theophylactus: « Sicut medicus inquit, cum videt ægrotum fastidire cibos et pharmaca, prior ipse ea sumit, ut ægrum ad eadem sumenda inducat: ita Christus prior gustavit mortem, ut eam gustare non horreat Christianus. » Neque mortem solam, sed etiam mortis dolores, quævis tormenta et injurias superare docuit nos exemplo suo Christus, quando velut ovis coram tondentibus se obmutuit: et quomodo solent oves ligatæ hinc inde jactari et sine renitentia duci ad macellum: ita se ab impiis agitari et educi ad supplicium permisit. Hinc apostolus ad Romanos VIII. ait: *Propter te mortificamur tota die: æstimati sumus sicuti oves occisionis, q. d. ita patienter omnia supplicia perferimus, ut æstiment oves esse, quæ sine fuga, sine reluctatione, sine defensione patiuntur suam lanienam, tuo nimirum ducti exemplo.**

V. Ut ostenderet sua morte, quantopere nos amaret, quod indicat Joannes, cap. XIII. cum ait: *Cum dilexisset suos, in finem dilexit eos.* Ubi Sanctus Augustinus, tract. LV. *Quia inquit, in tantum dilexit eos, ut moreretur pro eis.* Et Rupertus in eum locum: « Sic utique jam dilexerat eos, ut de cœlo ad terram descenderit propter

eos, et ut qui erat Deus invisibilis in sinu Patris homo visibilis de ventre femineo factus fuerit, sed non erat consummata ista dilectio. Nihil enim suis profuisset, quod homo factus fuerat, si non pro illis etiam pateretur; siquidem hoc ipse supra dixit: Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet. Igitur, ut oportebat, dilexit eos, id est, dilectionem erga illos eousque perfecit, ultra quod non posset augeri, videlicet ut animam suam poneret pro illis. » Quid enim habet homo pretiosius vita sua? Certe Tigranes ille Armeniæ rex cum uxore a Cyro captus, cum ab eo interrogaretur, quid pro conjugis dilectissimæ redemptione daturus esset, nihil pretiosius, quod offerret, præter vitam suam habuit, quam et Cyro obtulit, apud Xenoph. in vita Cyri, indicans se daturum si quid charius vita haberet. Christus etiam si quid anima sua pretiosius habuisset, utique obtulisset pro suis ovibus. Multi quidem inveniuntur, qui largitionibus et muneribus suum erga charos amorem contestentur: sed qui pati gravia præsertim in suo corpore velint, albo corvo rariores; qui etiam vitam dare, nulli plane sunt. Demonstraturus quondam Deus suum erga Hebræos amorem, dixit eis per os Malachiæ, cap. I. *Dilexi vos. Aiunt illi: In quo dilexisti nos? Quibus Dominus: Nonne frater erat Esau Jacob? Et dilexi Jacob: Esau autem odio habui?* hoc est, in posteros Jacob, seu Hebræos, plurima beneficia contuli, educendo eos ex Egypti servitute, tuendo in deserto, inducendo in terram lacte et melle manantem, extollendo super omnia regna, reducendo e captivitate, etc. quoniam nihil exhibui posteris Esau seu idumæis: quos damnavi ad terram asperam et horridam, destitu lege et prophetis, deserui in captivitate, etc. At si amorem Christi nobis exhibitum velimus expendere, majora longe inveniemus. Non enim obruit nos gratiis et muneribus tantum, sed præterea acerbissima et indignissima, ipsamque adeo infamem crucis mortem pati pro nobis, voluit. Quis amorem hunc pro merito extollere, imo capere satis queat, quis non amore reciproco langueat, e mente prorsus excedat? Quis tandem amorem vel levissime offendere audeat?

DOMINICA III. POST PASCHA.

EVANGELIUM. JOANN. XVI.

In illo tempore, dixit Jesus discipulis suis: Modicum, et jam non videbitis me, et iterum modicum, et videbitis me: quia vado ad Patrem. Dixerunt ergo ex discipulis ejus ad invicem: Quid est hoc quod dicit nobis: Modicum et non videbitis me: et iterum modicum, et videbitis me, et quia vado ad Patrem? Dicebant ergo: Quid est hoc quod dicit: Modicum? Nescimus, quid loquitur. Cognovit autem Jesus, quia volebant eum interrogare, et dixit eis: De hoc quæritis inter vos, quia dixi: Modicum, et non videbitis me, et iterum modicum, et videbitis me. Amen, amen dico vobis, quia plorabit et flebitis vos, mundus autem gaudebit: vos autem contristabimini, sed tristitia vestra vertetur in gaudium. Mulier cum parit, tristitiam habet, quia venit hora ejus: cum autem peperit puerum, jam non meminit pressuræ propter gaudium, quia natus est homo in mundum. Et vos igitur nunc quidem tristitiam habetis: iterum autem videbo vos, et gaudebit cor vestrum, et gaudium vestrum nemo tollet a vobis.

CONCIONES.

- I. Omnia mundo modica, etiam quæ videntur magna.
- II. Septem modica bene consideranda.
- III. Vocata modicum, quam varie consoletur justos, terreat malos.
- IV. Quam modicum sit gaudium malorum in sæculo.
- V. De modico tribulationis, seu modicum esse quod nunc patimur.
- VI. Solidum ac jugè piorum gaudium in quo consistat.
- VII. Non esse vane lætandum in mundo, sed plorandum potius.

VIII. Documenta.
IX. Mysteria.

CONCIONES AUCTARII.

- I. Quando parentes gaudere possint.
- II. Quando parentes non gaudeant de liberis suis, sed tristentur potius.
- III. Partus mulieris morti non absimilis.
- IV. Non spernenda modica, e quibus nascuntur sæpe magna.
- V. Justos cur subinde ad modicum Deus deserat, et qui requirendus.

CONCIO I.

OMNIA IN MUNDO MODICA, ETIAM QUÆ VIDENTUR MAGNA.

- I. Modicum est sapientia et scientia: 1. Quia fluxa. 2. Quia imperfecta. 3. Quia periculosa. 4. Quia laboriosa. — II. Modicum est nobilitas, honor, dignitas: 1. Quia fluxa. 2. Quia infirma. 3. Quia periculosa. — III. Modicum est robur corporis: 1. Quia fragile. 2. Quia sæpe noxium. 3. Quia sæpe inutile. — IV. Modicum est forma corporis: 1. Quia caduca. 2. Quia insidiosa. — V. Modicum sunt divitiæ: 1. Quia facile perduntur. 2. Quia insufficientes. — VI. Modicum est favor principum: 1. Quia fallax. 2. Quia maucus. — VII. Modicum est dominatus: 1. Quia non diuturnus. 2. Quia plenus laboribus.

THEMA.

Quid est hoc, quod dicit nobis modicum? Joan. XVI.

Magna est, auditores, differentia inter Dei judicia et hominum: Quia sicut exaltantur cæli a terra, inquit, Deus per os Isaia, c. LV. sic exaltata sunt viæ meæ a vobis vestris, et cogitationes meæ a cogitationibus vestris. Quemadmodum ergo ea, quæ nos in terris magna dicimus et reputamus, veluti montes magnos, regiones magnas, civitates magnas, etc. si ex concavo lune aspicerentur, modica, imo nulla apparerent; ita etiam contingit, ut bona illa terrena, quæ nos magni æstimamus, Deus parvi vel nihili æstimet. Ecce Christus in hodierno evangelio tempus ab ultima cena usque ad ascen-

sionem suam, (si S. Augustini sententiam sequamur) et rursus tempus illud ab ascensione usque ad diem iudicii, modicum tempus vocat, eum tamen prius illud tempus apostolis diuturnum videretur, hoc vero nobis omnibus longissimum censeatur; quia videlicet coram Deo mille anni tamquam dies hesterni. Par ratio est in rebus aliis, quas quidem mundus magnas, Deus vero modicas dicit. Magnum esse bonum clamat mundus sapientiam, dignitatem, robur, pulchritudinem, divitias, favorem, imperium: quæ omnia tamen Deo modica sunt et nulla. Quoniam ergo in hodierno evangelio septies repetitur vocula illa, *modicum*, videamus septem mundi modica.

I. Clamat mundus magnam esse et scientiam et sapientiam. Hanc in Salomone suspiciebat regina Saba, quæ visa ejus sapientia, non habebat ultra spiritum et dicebat: *Major est sapientia tua, quam rumor quem audivi*, III. Reg. X. Et tamen ipse Salomon de se dixit: *Stultissimus sum virorum et sapientia hominum non est mecum*, Prov. XXX. Hominum sapientia, inquit, non angelorum. Modica est ergo hominum sapientia, et scientia quatuor de causis secundum D. Thomam. Primo, quia fluxa et mutabilis, ut patet in Salomone qui in senecta (ubi maxime sapere debebat) depravatus et infatuus est velut sal, ut ait S. Hieronymus, ep. ad Rus. Sæpe etiam perditur in hac vita, ut de Alberto Magno novimus, qui ad extremum omnium suarum scientiarum oblitus est; de Theodorico Canisio soc. Jesu, qui ob mortem Petri fratris attonitus factus, obrigit apoplexia tactus, simulque omnium litterarum oblivione, adeoque sui etiam nominis, ut Raderus, in vita utriusque refert. Messala Corvinus orator morbi diritate afflictus proprii nominis oblitus est, Plin. I. VII. c. XX. Quod si in hac vita hominem non deserat scientia, nihil tamen juvabit in altera. Eo pertinet id Isa. XXIX. *Peribit sapientia a sapientibus*. Perit enim vel memoriam, vel gloria sapientium hujus mundi. Unde apostolus, I. Cor. I. exclamat: *Ubi sapiens? Ubi scriba? Ubi conquistor sæculi?* q. d. ubi philosophi gentilium? Ubi doctores Judæorum? Ubi physiologi, Plato, Aristoteles, etc. *Evanuerunt in cogitationibus suis*, inquit, idem apostolus ad Romanos, c. I.

Secundo, quia imperfecta scatens multis erroribus et multarum rerum ignorantia. Audite præclarum et doctissimum virum Just. Lips. de seipso, in notis ad I. de cruce scribentem: « Quo longius, inquit, in hac vita progredior, magis magisque aspicio circumfusam animo caliginem, corpori imbecillitatem. Heraclitus olim dicere solitus, se cum juvenis esset,

nihil scire; cum senex, nihil ignorare: nihil planissime contra evenit, et qui olim aliquid scire visus, nunc parum aut nihil. Et o miseri, quid nos, doctrina, fama sumus? Ipsi pulvis, illa opinio, ista ventus. » Sic ille. Idem de se sentiunt, quicumque sapiunt eruditi.

Tertio, quia periculosa. Nam *scientia inflat*, ait apostolus, I. Cor. VIII. velut pisa scilicet comedentem enim scientia nisi humilitate coercetur, elevat hominem in superbiam, præsumptionem et contemptum proximorum, et ita eum dat præcipitem in peccatum, et sæpe in graves errores atque hæresim, juxta id Abdæ: *Cum exaltatus fueris ut aquila, inde detrahant te*. Qui enim nimis alte volare et solem, id est, arcana Dei curiosius scrutari tentant, sæpe numero detrahuntur in errores et caliginem. Parvus ergo imo nullus est coram Deo doctus superbus. Unde S. Greg. I. XVII. mor. c. VI. ait: *Humilis ignorantia magis Deo placet, quam elata scientia*. Magni vir consilii fuit Achitophel, sed ingenii sagacitas ad suspendium eum adigit, II. Reg. XVII.

Quarto, quia laboriosa, et non nisi in serâ etate obstinetur. Unde Eccl. I. dicitur: *Qui addit scientiam, addit et laborem*.

II. Clamat mundus magnum bonum esse, generis nobilitatem, honorem et dignitatem. Hanc admirabantur quasi divinum aliquid in Herode Agrippa rege Tyrri et Sidonii, Act. XII. Cum enim ille statuto die, vestitus regio cultu (videlicet purpura, corona aurea, sceptro, et ut scribit Josephus, I. XIX. antiq. c. VIII. veste ex argento, mirabili arte contexta, quæ radiis solis percussa mirandum emittebat splendorem) sederet pro tribunali et concionaretur ad illos, acclamabant: *Dei voces et non hominis*. Sed quam modicus fuerit hic honor, ibidem mox ostensum est. *Confestim enim percussit Herodem angelus Domini, eo quod non dedisset honorem Deo* (quod scilicet divinos honores sibi tribui passus esset) *et consumptus a vermicibus exspiravit*. Modicum ergo est hoc bonum.

Primo, quia fluxum. Quam cito enim expirat honor? Inventus fuit aliquis Caninius Rebillus qui unico tantum die fuit Romæ consul, quo enim die consulatum iniit, eodem et depositus est: ut postea quæsitum fuerit, quibus consulibus consui fuerit? Lusit in eundem Cicero, lib. VII. epist. XXX. *Vigilantem, inquit, habemus consulem, qui in toto consulatu somnum non vidit*. Fuit aliquis annus (qui erat 71. Christi) quo successive imperavere et periire tres Romani imperatores. In summo dignitatis culmine brevis ævi sunt pontifices Romani, quorum nullus præter S. Petrum, vigesimum quintum annum attigit in imperio, tametsi aliqui prop-

accesserunt, ut S. Leo I. S. Silvester, Hadrianus I. Quo circa pontifici, dum inauguratur, acclamatur: *Beatissime Pater, annos Petri non videbis*. Id enim ita fore evincit tot centenorum annorum continua experientia. Plerique exiguo tempore, alii tribus annis, alii uno, alii paucis mensibus, alii paucis tantum diebus sedisse memorantur. Vidimus uno eodemque anno 1590. successive præsidere tres pontifices, Sixtum V. Urbanum VII. Gregorium XIV. Ita ut omnes dicere possint: *Modicum, et non videbitis me*. Quæsitum hac de re Alexander II. papa, B. Petrum Damianum; cum aliqui præsertim fuerint florenti adhuc ætate? Qui respondit, I. I. ep. XVII. Deum sic disposuisse, ut quam despicienda sit temporalis vitæ gloria, in ipso summo culmine appareret. Addit Lorinus, in II. Petri, c. I. id fieri, ut minus appetant homines papatus culmen, quod fere certi sunt, non diu duraturum.

Secundo, quia debile et infirmum: non enim eximit hominem a communibus miseriis, quas a communi patre Adamo hæreditario jure accepimus, curis, laboribus, molestiis, fame, siti, frigore, æstu, insidiis, hostibus, morbis, interitu. Unde David rex, Ps. XXIX. ait: *Quæ utilitas in sanguine meo, dum descendo in corruptionem?* Quid interest an unus gestet aureos compedes, alter autem ferreos? An curru vel equo feratur unus ad sepulcrum, alter pedibus?

Tertio, quia periculosum; magnam enim præbet ad peccandum libertatem. Non immerito putant aliqui nobilitatis, et dominandi originem fuisse vitam illam gigantum, qui e nobilissimis et validissimis prognati parentibus (qui Gen. VI. vocantur *filius Dei, et filii hominum*) cœperunt per tyrannidem homines opprimere, bella et clades inferre, adeoque cum omni libertate peccare, ex quo præcipue permotus est Deus ad diluvium immittendum. Taceo labores, curas, et molestias quæ comitantur dignitatem, tantoque magis, quanto illa major.

III. Magnum bonum existimat mundus esse robur et vires corporis. Has in Samsonem imprimis admirabatur mundus, ut qui mille viros unus interficeret, aliaque stupendæ fortitudinis monumenta ederet. Verum et istud bonum modicum atque exile est.

Primo, quia fragile; quemadmodum enim Samsoni septem crines rasi abstulere robur et notium ludibrio exposuere eum, qui prius illos necabat velut culices, Judic. XVI. ita modica glans sclopeti, modica febris, et paulatim senectus ipsa vires carpit et vitam. Unde S. Job, c. VI. ait: *Nec fortitudo lapidum fortitudo mea: nec caro mea ænea est*. Quanto fastu incessit Goliath contra Davidem? Nonne videbatur statim

uno bolo devoraturus juvenem? Et tamen unicus silex ipsius ossibus durior fuit; fronti enim ejus infixus eum prostravit, I. Reg. XVII. Maximus imperator mole et robore pene giganteo fuit, pollice ita vasto ut uxoris dextro chero pro annulo sit usus: calceamentum ejus pede majus hominis vestigio atque mensura: tantis viribus ut rhedam onustam solus moveret, pugno uno dentes equo excuteret, calca crura frangeret, lapides tophinos fricaret, arbores teneriores scinderet, etc. Unde mire insolecebat, viribus suis præfusus, quasi non posset occidi, immortalem se existimans. Et tamen biennio non imperavit, quin a propriis militibus in tentorio dormiens necaretur una cum filio, ut testatur Julius Capitolinus.

Secundo, quia sæpe noxium et occasio peccati vel alterius mali et intereccionis, dum qui robore pollent nimium sibi fidunt, periculis se exponunt, omniaque non in æquitate, et honestate sed in viribus tantum ponunt. Milo Crotoniates ictu nudæ manus occidebat bovem, eodemque die absumebat, teste Solino, c. III. Idem tamen: « Cum iter faciens, ait Val. Maximus, I. IX. c. XII. quercum in agro cuneis adactis fissam vidisset, fretus viribus accessit ad eam, insertisque manibus divellere conatus est: quas arbor excussis cuneis in suam naturam revocata compressit, eumque cum tot gymniciis palmis lacerandum feris præbuit. » Velocissimus cursor Asael fuit, sed in malum suum, dum enim militarem gloriam aucupans cursu insequitur Abnerum, ab eo confoditur hasta aversa, II. Reg. II.

Tertio, quia sæpe inutile. Audi Ecclesiast. cap. IX. *Vidi sub sole, inquit, nec velocius esse cursum, nec fortius bellum, nec sapientium panem, nec doctorum divitias, nec artificum gratiam: sed tempus casumque in omnibus*.

Taceo quod Deus: *Non in fortitudine equi voluntatem habebit, nec in tibiis viri beneplacitum erit ei*, Ps. CXLVI.

IV. Magnum aliis bonum videtur esse forma et pulchritudo corporis. Hanc in Absalone mire suspiciebant homines, ita ut capillos ejus, quoties tonderetur, emerent ducentis siclis, seu 133. Florenis, pulchritudine enim eximia omnes superabat, et in toto corpore nullam habebat maculam, ut habetur, II. Reg. XIV. Verum et hoc bonum est modicum.

Primo, quia caducum, uti vel ipse ostendit Absalon, qui in flore juventutis suæ pendulus e quercu factus, tribus lanceis confixus et magna lapidum congerie sepultus est. Ita enim ait s. textus: *Et tulerunt Absalon, et projecerunt eum in saltu, in foveam grandem et comportaverunt super eum acervum lapidum*, II. Reg. XVIII. Ecce

corpus quod vivum adeo amabatur et suspiciebatur, nunc velut canis mortuus vel asinus abjicitur in foveam, ne hominum oculos offendat, quos ante recreabat. Referunt terræ sanctæ topographi extare etiamnum cumulum illum lapidum, quem sic horrent Mahometani inco-lentes eam terram, ut cum execratione eo la-pides mittant, dicentes: *Maledictus sit parricida Absalon*. Deprehendi in ss. litteris, elegantioris formæ feminas sæpe a plantis nomen esse sortitas, sive Dei dispensatione, sive vulgi deno-minatione. Ita Absalonis filia *elegantis formæ Thamar* vocata est, id est, palma, quæ arborum pulcherrima est, II. Reg. XIV. Ita Susanna spe-ciosissima a lilio nomen accepit, Dan. XIII. Su-sanna enim liliū significat. Ita Esther cognomen-tum a pulchritudine obtinuit, dictaque est Edessa, Hebr. Hadasch, id est, myrtea vel myrtus, quæ est planta speciosissima, Esth. II. Qua re indicatur formæ pulchritudinem tam fugacem esse, quam est decor florum, arborum et plantarum, qui interdum una nocte ex pruina perit: floribus intra paucos dies, arboribus intra æstatem unam. Mementote hederæ Jonæ, quæ a modico vermiculo una nocte exesa aruit: (uti mox dicemus) talis est forma corporis, quæ modica febris perditur. Bene ergo Sapiens dixit: *Fallax gratia et vana est pulchritudo: mulier timens Deum ipsa laudabitur*, Prov. XXXI.

Secundo, quia insidiosum et sæpe noxium. Patet in Absalone, cujus aurea cæsaries, quam ille sic amabat, ut nunquam eam tonderet, nisi cum ab ea gravaretur, quamque alii magno pretio comparabant, facta est illi in laqueum: unde in quercu pendulus inimicorum ludibriis et vulneribus pateret. Eadem pulchritudo in discrimen adduxit Saram, Josephum et Susannam; tametsi evaserunt periculum. Alios flore pudicitia violenter spoliavit, ut Bethsabeam et Thamarem. Unde Socrates dixit: *Pulchritudo est modici temporis tyrannis*: Petrarca: *est viscus animæ, quo illaqueantur oculi et affectus hominum*.

V. Magnum vulgo ac pene summum bonum reputant alii divitias, et amplas possessiones. *Beatam dixerunt populum, cui hæc sunt*, inquit Psaltes, Psal. CXLIII. Et de divite illo vero Nabal dicitur I. Reg. XXV. *Erat vir quispiam in solitudine Maon et homo ille magnus nimis*. Sed nihil magnum est in divitiis.

Primo, quia cito et facile perduntur, quod vel exemplo dicto possumus discere. Cum enim illi Nabal indicasset mane uxor, quod gladius Davidis a tergo eum insecutus fuerat, factus est præ metu totus stupidus ac *velut lapis*, ut ait s. textus, cuiusque talis mansisset decem diebus, percussit eum Dominus et mortuus est. Videre

mihi hic videor hederam illam Jonæ, præpa-ratam illi a Deo, sub cujus umbra dum quies-ceret et lætaretur Jonas, diluculo paravit Deus vermem in crastinum, qui percussit et arefecit hederam, Jon. IV. Unde de illa in Hebr. pulchre dicitur: *Filia noctis erat, et filia noctis perit*. Hujusmodi hederam et filia noctis est abundantia, sub cujus umbra dormiunt homines suavissime; sed multoties evenit, ut intra unam noc-tem, mensem vel annum vermibus aliquis veniat, qui hederam illam percussit, et extinguit, v. g. incendium vel rapina vel gravis mulcta vel mors. Expertus id fuit dives ille, qui dicebat: *Anima, habes multa bona posita in annos plurimos, etc.* Dixit autem illi Deus: *Stulte hac nocte repe-tunt a te animam tuam, etc.* Luc. XII. Experti id sunt Ægyptii, qui Deo dispensante, una nocte spoliati sunt vasis suis aureis et argenteis, Exod. XII. quæ donavit Deus Hebræis, tametsi ab his mutuo tantum accepta fuerant.

Secundo, quia modicæ, et sufficientes sunt, ac verius paupertas quam divitiæ appellandæ. Socrates cum videret Alcibiadem ob divitias elatum et propter agrorum spatiosos limites superbientem, adduxit eum ad tabulam seu map-pam, in qua totus orbis terræ descriptus erat et rogavit, ut ibi Atticam requireret. Quam cum invenisset, suos fundos jussit ostendere; et cum responderet, nusquam ibi pictos esse, tum So-crates: *Horum inquit, possessione te effers, qui nulla pars sunt terræ?* Ælian. I. III. var. hist. e. XXVIII.

Taceo quia noxiæ et laboriosæ, pungentes et sauciantes animam ac sementem suffocantes, ut alibi vidimus.

VI. Magnum quid censetur esse favor et gratia principum ac magnatum. Ita enim legimus Amanem miro modo sibi gratulatum de gratia regis et reginæ; narrabat enim domi suæ, quanta eum gloria super omnes principes et servos suos Assuerus elevasset, quomodo ad convivium regis a regina vocatus esset, Esth. V. Et propterea etiam ipsum suspiciebant omnes, flexoque genu adorabant, Esth. III. At vero et hoc quidquid est, modicum est.

Primo, quia inconstans et fallax, ut vel in Amane patet, qui in illo ipso convivio, quod habuit cum rege et regina, utriusque exosus et abominabilis factus, facie velatus (quasi qui regem aspiceret indignus foret) et decreto regis, e regia ejectus, atque in altissimo patibulo sus-pensus est, Esth. VII. Idem experiuntur alii sæpe, etiam nulla sua culpa, uti bonus Joseph, qui hero suo primum gratissimus, postea ficta do-minæ delatione, hostis judicatus, traditus est in carcerem, Gen. XXXIX. Similiter et Moyses, qui primo a Pharaonis filia adoptatus in filium,

postea ex aula regis fugere compulsus est, quoa ipsius vitæ rex insidiaretur, Exod. II. Bene ergo Jeremias, c. XVII. dixit: *Maledictus homo qui confidit in homine et ponit carnem brachium suum; ut scilicet eo velut forti brachio se tueatur, cum sit caro tantum, non os vel brachium*. Quam sententiam Origenes acute explicat per eam Deut. XXI. *Maledictus homo qui pendet in ligno*. E ligno enim pendet, qui spem suam et homine veluti fragili ramo suspensam habet. Ferunt elephantem ad somnium capiendum arbori in-niti; quare venatores eam in imo dissecant, ita tamen ut nihilominus stet erecta velut integræ. Elephas ergo cum ex more venit accubitum, succisæ innititur, sicque et se, et arborem humi sternit, et cum surgere nequeat, fit præda venatorum, Barth. Angl. I. XVIII. c. XLIII. Idem contingit fere iis, qui gratiam hominum ambiunt, sectantur et mercantur precibus, pretio, obsequiis. innituntur enim arboribus jam pridem mortis vulnere incisus, et cum minime pu-taverint, subito ruitur et omnem eorum spem elusuris. Vel enim patronus eorum moritur, vel bonis suis exiit, vel ipsi de gratia ejus excidunt, vel moriuntur ipsi. Audi S. August. in Ps. CXXXI. *Multi, ait, de amicis potentioribus præsumperunt: ceciderunt illi, de quibus præsumperunt, et involverunt eos, qui de se præsumperunt*.

Secundo, quia infirmum et mancum. Ut enim favor et gratia magnatum juvat nos in hoc sæculo, non poterit tamen juvare in altero. Unde illis dicitur Deut. XXXII. *Ubi sunt dii eorum, in quibus habebant fiduciam? Surgant et opitulentur vobis et in necessitate vos protegant*. Maxima et extrema necessitas erit in futuro cu-juseumque judicio, ubi sane patroni illi non poterunt opitulari.

VII. Magnum denique bonum reputatur do-minatus et potentia. Hoc enim nomine inter alios gloriabatur rex Nabuchonosor, Dan. IV. cum in palatio suo obambulans diceret: *Nonne hæc est Babylon magna, quam ego edificavi in domum regni, in robore fortitudinis meæ, et in gloria decoris mei*. Verum et hoc bonum modi-cum atque exiguum est.

Primo, quia non diuturnum, uti expertus est Nabuchonosor. Cum enim sermo adhuc esset in ore ejus, vox de cælo ruit, quæ minata est ei ejectionem de regno ad silvas et feras, eadem-que hora completa est, et cæpit rex inter feras jentacula boum edere, cui prius regia fercula centena eaque lautissima apponebantur. Quo-rundam imperium tam breve et exile fuit, ut somnium potius quam imperium fuisse vide-retur, quale fuit Samgaris principis Hebræorum, qui propterea ab aliquibus non numeratur inter

judices, quod in primo principatus anno non expleto mortuus sit, Judic. III. Ita Maximi Rom. imp. qui cum invasisset imperium, regnavit tantum duos menses, et aliquot dies; tum fu-giens a Romanis insecutus lapidatus. membra-timque discerptus est, Bar. an. 455. Item fabri illius Marii, postea imperatoris, de quo Trebel-lius, in l. de triginta tyrannis: *Una inquit, die factus est imperator, alia die visus est imperare, tertia die interemptus est*. Universum denique verum est, quod dixit Ecclesiasticus, c. X. *Omnis potentatus brevis vitæ: et mox: Rex hodie est, et cras morietur*.

Secundo, quia laboribus et curis plenum. Al-phonso Aragonum regi in cæna quidam impor-tunus instabat: rex nihil commotus, asinos tantum regibus beatiores esse dixit: « Illis enim dum comedunt clitellas auferunt agasones, mihi vero senex iste cœnanti imponit, » Æn. Sylv. de dict. et fact. Alph. Meminerunt Belgæ Caroli V. qui senescens onerum reip. pertæsus, cum Bruxellæ principatum Belgii in filium Phi-lippum II. transferret, illacrymans dixit: « O filii, magnum tibi onus impono; ego enim toto tempore principatus mei nunquam quadrantem horæ magnis curis, et anxietatibus vacuum ha-bui. » Secedens ergo a turbis, quatuor ultimos annos sibi et Deo vixit.

Taceo alia plurima, quæ modicum esse os-tendunt imperium terrenum, alibi commodius referenda.

Vidimus igitur, auditores, modica omnia esse, quæ mundus reputat magna. Quid ergo nunc faciemus? Num relictis iis, quæ vere magna, solida, et cælestia bona sunt, hæc modica sec-tabimur? Num pro integro vini et mellis dolio, guttulam acceptabimus? Num unius hostis spo-lium quam plenam de integro exercitu victo-riam? Non ita sapientissimus dux Josue, qui cum in prælio contra quinque reges audisset eos fugisse de prælio in speluncam, nequaquam eorum gratia hostem cadere destitit, nec victo-riæ portiunculam toti anteposuit, sed cepto bene prælio fortiter institit, monens socios: *Vos autem nolite stare, sed persequimini hostes, et extremos quosque fugientium cadite*, Jos. X. Nos igitur relictis in hujus mundi spelunca regibus, id est, caducis, modicis et fallacibus bonis, quæramus et persequamur solida, magna et veracia cæli bona. Instar Hippocentauris illius ve-teris nobiscum agit diabolus, spargit in itinere poma, quorum amore capimur, ut iis rolli-gendis occupati, a melioribus retardemur, et excidamus. Non ita nos desipiamus: vera, et magna et solida consecemur bona, quibus æternum beati simus.